



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 68. Historia Matthæi Gribaldi alterius Anabaptistæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

*Historia Matthæi Gribaldi alterius  
Anabaptistæ.*

Alter celebris Antitrinitariorum fau-  
tor erat Matthæus Gribaldus Ser-  
veto, & Valentino Gentili arctæ ami-  
citæ vinculo junctus, cujus obitus ad  
hunc annum, aut saltem ad sequentem  
revocatur. Hic Papiæ natus ibidem  
doctrinæ laude inclaruit, atque inter  
celebriores ævi sui Jurisconsultos nu-  
merabatur: verum abjurata Religione  
Catholica novis erroribus infectus ex  
illis quadraginta unus erat, qui Anno  
reparatæ salutis millesimo quingentesi-  
mo quadragesimo sexto Vicentiæ My-  
sterium Sanctissimæ Triadis impugna-  
bant: cum autem eorum conventicula  
prohiberentur, relicta Italia Genevam  
secessit, ubi quosdam Italos eo profu-  
gos, quibus jam olim jurisprudentiam  
tradiderat, ibidem reperit. Hi sum-  
ma lætitia affecti, quod ipsorum Ma-  
gister jam publice adulterinam refor-  
mationem profiteretur, eundem ad Cal-  
vinum deducebant, ut is hunc trans-  
fugam recipere velit: cum autem Cal-  
vino jam antea compertum esset, quod  
Gribaldus Vicentino conciliabulo inter-  
fuisset. hinc illum ad suam sectam admit-  
tere renuit, nisi prius ex propria ejus con-  
fessio-

*Beza in  
vita Calvinii  
Sandius  
pag 17.*

II.

Sæcul. XVI  
A. C. 1565

fessione certus esset, quod ipse Deum  
 in Personis trinum profiteretur. Id  
 quoque pollicitus est Gribaldus: ast ini-  
 ta societate cum Blandrato, Alciato,  
 Gentili, aliisque nonnullis ejusdem fur-  
 furis hominibus, Antitrinitariorum hæ-  
 resin eodem cum Serveto, Ockino, &  
 Lælio Socino ardore propugnabat:  
 quamprimum vero Calvinus, qui Gri-  
 baldum plurimi habebat, rem comper-  
 erat, mox toto studio illum ab hac  
 secta avertere nitebatur, sed oleum,  
 operamque perdidit; Gribaldus enim  
 pertinaciter suis erroribus insistebat:  
 cum autem in carceres conjici perti-  
 mesceret, Anno Christi milleimo quin-  
 gentesimo sexagesimo secundo relicta  
 Geneva Blandratum, Alciatum, & Gen-  
 tilem in Polonia convenit, sed nec ibi  
 diu moratus inde recessit, ac Tubin-  
 gam venit, ubi Pauli Vergerii poten-  
 tia, & artibus suffultus jurispruden-  
 tiam publice tradidit, suas tamen opi-  
 niones data opportunitate disseminavit:  
 postquam tamen Calvinum hæc rescivi-  
 sisse intellexerat, veritus, ne in eum  
 judicii acta intentarentur, relicta Tubin-  
 gana Schola Bernam contendit, ubi  
 tamen comprehensus custodiæ manda-  
 batur; simulata autem errorum suorum  
 palinodia e carcere dimissus est, ubi  
 paulopost rursus suas blasphemias spar-  
 gere

gere incipiebat, atque illis, qui in omnem impietatem effusi erant, palam favit: unde Calvinus tanto furore accendebatur, ut eum pari mortis sententia, ac olim Servetum, e medio tollere decerneret: verum ipsemet morte præventus suum consilium exequi præpediebatur: exiguo tamen tempore Gribaldus post hujus hæresiarchæ obitum vita superites fuit.

Sæcul XVI.  
A C 1565.

§. LXIX.

*Gribaldi errores, & opera.*

Accusabatur Gribaldus, quod sequentes tradiderit errores. I. Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus inter se tam perfecte sunt subordinati, ut Pater sit solus magnus Deus, omniumque rerum Auctor. II. Tota notio Divinitatis, necnon Filii, & Spiritus sancti, ac cujusunque alterius Spiritus cælestis in Patre reperitur, ac refertur ad hunc unicum Deum Patrem, qui originem non habet, ac per semetipsum Deus est, quem ceteri veluti unicum fontem suum, & totius essentia, ac divinitatis suæ caput respiciunt. III. Dantur tres Spiritus cœlestes, atque æterni, nec invicem confusi, sed numero, & dignitate distincti. IV. Magnus ille Deus nullam habet personalitatem, & sicut animal non potest appellari

*Sandius  
Bibl. Antitrin. p. 18.*

Per-